POSITIONES PHILOSOPHICÆ IN ARISTOTELIS LOGICAM, PHYSICAM, ET METAPHYSICAM TRIPARTITAE,

QUAS

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO PRÆSULI, AC DOMINO, D.no

MICHAELI MONTIS S. ANDECHS ABBATI

VIGILANTISSIMO, &c.

OBSERVANTIAE ET GRATITUDINIS ERGO

DICATAS

SVB PRÆSIDIO P. F. HONORATI KOLB, MONACHI BENEDICTINI IN SEON,

Philosophiæ Professoris Ordinarii,

Post absolutum Cursum Philosophicum.

IN ALMA UNIVERSITATE SALISBURGENSI,

Die Octobris, Anno CIↃ. IↃC. XXXIII.

PROPUGNABIT

RELIGIOSUS ET TERERUDITUS F. BONIFACIUS DAX, ANDECENSIS,

Supremæ Philosophiæ Laureæ Candidatus.

Logica Physicæ & Metaphysicæ famulatur, quia utriusq; Organū est.

Positio I.

LOgica Intellectum humanum aperit, dum eundem rudem, obscurum, & ad falsum proclivem instruit, in operatione quidē I. adsimplices mentis conceptus, de simplicib. rebus rectè ordinandos, in operatione II. de rebus judicandis, vel de probandis in III. juxta regulas tamen, quas illi præscribit: est enim Logica Organū & habitus instrumentarius circa modum disserendi, pro materiali objecto considerans operationem mentis in communi, & tres in *specie, pro formali ipsam Rectitudinē* in operationē mentis introducendam, ita ut ex utroq; confletur modus disserendi, sive Oratio patefaciens ignotum ex noto, in specie verè triplex, Definitio, divisio, & Demonstratio: quia tāLogica per suum objectum Scientiis inservit, nec ad extra operatur, nec ex necessariis cognoscit, tunc nec Ars, nec Scientia, sed Instrumentarius solùm habitus erit Scientiis subordinatus.

2. Universale est unum quid & aptum inesse pluribus Metaphysicè, vel univocè prædicari de pluribus Logicè, ad esse enim dici, & ad Metaphysicū sequitur Logicum. Universale pro materiali naturam dicit in statu essentiæ positam, pro formali unitatē & aptitudinem ex statu abstractionis intellectus ortam. Universale in specie quintuplex est, secundùm quintuplicem de plurib. prædicandi modum; I. Genus in quid prædicatur essentialiter, incōpletè, de plurib. specie differentibus. II. Species, in quid essentialiter, completè de plurib. numero. III. Differentia in quale quid essentialiter, IV. Propriū in quale, necessariò & conversim. V. Accidens in quale contingenter: Accidens potest adesse & abesse saltem per intellectū sine subjecti corruptione. Universale ut in prædicamento ponatur, debet esse unum, per se, reale, finitum, totum: si actualiter prædicatur, ex specie singularizatur.

3. Nomen est vox significans secundùm placitum, sine tempore, cuius nulla pars significativa est separata, & adjuncto Verbo, verum vel falsum significat: Verbum insuper tempus consignificat, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota: Orationis aliqua pars significat separata, & si perfecta est, aliquid de aliquo affirmat, vel negat, verè vel falsè, in Universali, particulari, indefinitè, singulari, necessariò vel contingenter, absolutè, cum modo, de præsenti, præterito vel futuro: de hoc contingenti singulari determinatè vera vel falsa, non est enunciatio etiam alterutra contradictoria: Enuntiatio tribus opponitur, & æquipollet modis, duobus convertitur, & quælibet est vera vel falsa.

4. Argumentatio est discursus, & Oratio in qua aliquid Ex aliquo sequitur, & si ex uno vel pluribus singularibus aliquid singulare sequatur, Exemplum est: si ex pluribus vel omnibus singularibus universale, Inductio: si imperfectus est syllogismus, Enthymema dicitur: si perfectus, est Oratio in qua positis quibusdam, alterū quid à positis necesse est contingere, eò quòd hæc sint: huius materia essentialis sunt tres termini, & tot propositiones, forma est Modus & Figura, ille est complicatio propositionum secundùm quantitatem & qualitatem Logicam, figura est complicatio medii cum extremis, & triplex est: in I. maius extremum de medio prædicatur, in II. prope medium est, in III. longiùs à medio: hypotheticus ponit antecedens ut ponatur consequens, vel negat consequens ut negetur antecedens: Modalis modum habet; indirectus minus extremum de majori concludit, directus è contra. II. & III. figuræ syllogismi trib. perficiuntur modis, per impossibile, ostensivè, & expositoriè.

5. Syllogismus Topicus est probabilis, Sophisticus falsus, Demonstrativus necessariò verus, vel I. per effectus [ut medium] ad causas, vel per causas remotas ad effectus, dicitur; á posteriori, sive Demonstratio Quia, vel II. per causas imediatas, [ut medium] ad effectus, & est á Priori Demonstratio propter quid, faciens scire ex principiis primis, veris, imediatis, necessariis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis. Quod si conclusio probata assumatur ad suas præmissas probandas, tunc circulus dicitur vel materialis & bonus, vel formalis & vitiosus.

Physica est Philosophia secunda.

1. PHysica intellectum illustrat, dum eundem Scientiâ de corpore naturali mobili, specie cultivâ ornat, & eiusdem corporis naturalis principia, causas, proprietates, tam in communi quàm in specie, corruptibili vel incorruptibili, simplici vel mixta, inanimata vel animata declarat. Est enim Physica Scientia & Philosophia secunda speculativa circa corpus naturale, ut tale, tanquam suum sibi proprium objectum adæquatum.

2. Physica Principia sunt, quæ nec ex aliis, nec ex alterutris sunt, saltem in eodem principiandi genere, sed ex his omnia, horū sunt duo per se Materia & Forma, tertium per accidens ipsa Privatio, sive absentia formæ in subjecto apto, & in tempore à natura constituto. Forma est actus, quo quid erat esse rei, Materia est mera potentia subjectiva nullū ex se habens actum, sed primū subjectū ex quo cū insit aliquid fit, & si corrūpitur in hoc abibit ultimū: Principiatū principale, est corpus physicū ex materia & forma substantiali compositū, quod per materiam habet, ut tātùm possit esse, per formam ut hoc jam etiam sit: & materia non nisi performā existit.

3. Natura est principium aliquod & causa movendi & quiescēdi in quo est primū per se, & non secundùm accidens: alia ut substantialis forma, quæ inest, alia ut subjectū & materia, cui inest: utraque propriè, non tamen univocè talis, causa tamen sunt intrinseca & elementum, quia suo principiato insunt. Causa est principium ex quo res secundum esse suum dependet vel in facto, vel in fieri: est quadruplex, materialis Ex qua, formalis Quâ, efficiens Unde, & finalis propter Quid: vel per se vel per accidens, in potentia vel in actu. Causalitas qua effectus actu causatur, modus non est, sed ipsa entitas effectus, *dum in fieri per modum viæ concipitur.* Causalitas materiæ & formæ in ordine ad compositum Unio est, efficientis causæ actio, finalis eadem quoque actio qua aliquid fit propter aliud. Principalis causa virtute propria producit effectū, Instrumētalis in aliena, & ad principalem elevata.

4. Motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia, tanquam actus imperfectus *sui mobilis* ad actum perfectum & suum terminum. Motus modus non est, sed realiter eum termino idem & formaliter in tantum diversus, *in quantum entitas termini in via concipitur: ad motum tria requiruntur, subjectum, terminus à quo, & ad quem, ab hoc etiā specificatur. Motus quadruplex est, localis ad locum, alterativus ad quale, augmentativus ad quantum,* & Generatio ad *substantiam, nam etiam ista, licet instantanea,* actus est entis *in potentia quatenus formaliter in potentia.*

5. Locus est superficies corporis continentis, prima, immobilis: quod si actu corpus contineat, absolutè Locus dicitur, si non continet, continere tamen potens est, absolutè Vacuum erit, hoc non patitur Natura, nec in illo duo simul corpora; nullum th corpus alicubi est, quod non existit & extra se non habet dictam superficiem, quia præter locum extrinsecum, non datur alius mo dalis intrinsecus; locus tamen primò imobilis non foret, si eandē dem generis ponitur. In Contiguo ac Consequenter partes sunt, distantiam ad quatuor cœli puncta fixa non haberet, quia ut sic locus fixus non movetur.

6. Tempus est numerus motus secundum prius & posterius: ut universale sit & reale, numerus erit motus localis, circularis cœlestis, huius enim partes fluentes dum anima numerat, tempus cognoscit, non quod tempus non esset, si actu ab anima non numeraretur, sed si motus ab eadem numerabilis non esset. Quod sub tali motu est, verè sub tempore extrinseco universali est, quia præter extrinsecum non datur aliud intrinsecum. Tempus est realiter idem cum motu locali, & ab eo tantùm formaliter distinctum.

7. Corpus naturale & movetur, & in loco & tempore est, imò continuum quoque dicitur: Continuum autem est quorum extrema unum sunt, Unde extrema & partes in continuo quidem sunt, non tamen actu distinctæ manent, quia Unum fiunt magnum & extensum. Contiguum est, quorum extrema actu quidem distincta sed simul sunt: Consequenter demum, inter quæ nihil eiusdem generis ponitur. In Contiguo ac Consequenter partes sunt, & actu distinctæ, in Continuo autem actu quidem sunt, non tamē actu distinctæ, sicut nec ipsa indivisibilia, cum hæc realiter sint ipsum Continuum prout concipitur non extensum. Si partes actu distinctæ darentur, infinitæ forent, imò finitæ quia exhaurirentur.

De Cœlo.

8. Mundus est compages è Cœlo terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ inter ea continentur; materia illius sunt quinque corpora simplicia, Cœlum, Ignis, Aër, Aqua, Terra: forma verò est eorundem corporum dispositio in ordine ad totum universū circulare. Cœlum est corpus simplex mobile motu circulari: constat quidē materia, sed à sublunari specie diversā, hæc eñ ad plures apta est formas, & ideò privativa dicitur, illa ad unam tantùm & ideo receptiva vocatur. Cœli tres tantū sunt, unum Empyreum, 2. Stellarum fixarum solidum, 3. erraticarum liquidum, plures autē stellæ & astra, omnia autem inter se specie distincta.

9. Cœlum movetur, & movet, movetur motu circulari non à se activè, sed ab Angelo assistente, movet tamen activè alia inferiora etiam mixta, & animata imperfecta producendo: Elementa ut hic spectantur, etiam localiter moventur, & quidem à Generante per se, motu naturali, motu autem violento à projiciente.

De Generatione & Corruptione.

10. Latio primus motus est, & ad locum extrinsecum datur: II. est alteratio, & ad qualitatem mutatio, hæc ut ad Generationem conducat, est mutatio manente subjecto, sensibili existēte in eius passionib. aut extremis aut intermediis cōtrariis: hujus subjectum est totum compositū physicum, termini sunt qualitates, quæ non aliter in subjecto intenduntur vel remittuntur, nisi dum eidem magis vel minùs conjunguntur & couniuntur. III. motus est Augmentatio ad quantitatem, quæ etiam non aliter rarefit, vel condensatur, nisi cum sub eadem quantitatis entitate majorem aquirat vel minorem ad locum extensionem. IV. Motus est Generatio, & substantialis mutatio, ex substantia potentia in substantiam actu, vel ex non ente actu in ens actu: huius subjectum est nuda materia prima, in qua non sunt plures formæ substantiales simul: & ad nudam materiam fit resolutio omnium formarum tam substantialium, quàm accidentalium, si prius compositum corrumpatur, & aliud generetur.

11. Mixtio est miscibilium alteratorum Unio: elementa per reactionem ita alterantur & refringuntur, ut ex elementis actu corruptis mixtum generetur, & solùm potentiæ & accidentia elementorum refracta, numero tamen diversa relinquantur. Elementa omnia in se reagere possunt, imò quodlibet ex quolibet generari etiam immediatè, quia sunt in materia similia, in forma vel perfectione dissimilia. Nullum simile agit in simile, nec idem in se ipsum, nec in aliud à se in distans positum.

De Meteoris.

12. Meteora sunt corpora mixta, inanimata, imperfecta, sublimitia: potissimùm in aëris regionibus orta, ex vapore & exhalatione ut materia proxima, & à Cœlo sursum attracta, atque in Meteora transmutata, ut in de vel ignea oriantur meteora, vel aquea, vel terrestria, vel aërea.

De Anima.

13. Anima est actus primus corporis Organici potentiâ vitam habentis, subjectum est ipsa materia, tanquam corpus Organicum potentia, & actu tale fit, si actu anima insit, post quam tamen adhuc in potentia manet ad vitam accidentalem & secundam. Corpus Organicum non constituitur per formam corporeitatis, vel alias substantiales partiales, quia in una materia non possunt esse plures formæ substantiales, sed constituitur essentialiter per ipsam animā, accidentaliter per diversa accidentia in diversis materiæ partibus requisita, propter diversas animæ operationes.

14. Genera animarum in communi tria sunt, á substantiali principio & anima constituta: Vegetativum, Sensitivum, & Intellectivum. Genera animatorum quatuor sunt, à potentiis animarum in subjecto separandis desumpta: Vegetativa, Senfitiva, Locomotiva, & Intellectiva. Genera potentiarum quinque sunt, à diversis objectis & modis tendendi determinata: Vegetativa, Senfitiva, Appetitiva, Locomotiva, & intellectiva.

15. In hominis materia, tres sunt successivè animæ, simul autē una sola. Vegetativa seorsim constituit Embrionem prosensitiva, hæc eundem pro Rationali anima, ille materiales sunt, & divisibiles, ista spiritualis & indivisibilis, ex se tamen emanat potentias tàm spirituales, quàm materiales, hæ in toto composito subjectantur, illæ in Anima solùm: vivunt omnes partes continuę substantialiter una Anima, non item accidentaliter, etiam dentes, pili, ungues.

16. Vegetativa Anima est principium Nutritionis, per intus susceptionem Augmentationis, & Generationis. Senfitiva est sensationis, Appetitus, & Localis motus. Rationalis formaliter est intellectionis, & volitionis. Sensus sentit si patitur, nam & species impressas ab objecto recipit, & expressas à se productas suscipit, ubi vitalis senfatio completivè consistit. Sensus externi quinque sunt juxta quinque sensibilia propria Extra posita, quæ per mediū sui similitudinem usque ad sensum producunt: Internus sensus unus tantùm est in re, multiplex in formalitate. Species sensibiles materiales sunt, divisibiles, à materiali causa productæ & receptę.

17. Intellectus alius est agens, alius possibilis, uterque spiritualis, agens abstrahit species à phantasmate, possibilis easdem recipit, & cum iisdem similes vitales exprimit, & immanenter suscitat tantùm cognoscit universale, reflexè, vel indirectè in sua phātasia etiam singulare.

18. Potentia cognoscitiva in hoc etiam distinguitur ab appetitiva, quod illa videat, & objectum ad se per species trahat, Appetitiva verò cæca, ita ut ab objecto, priùs tamen à cognoscitiva potentia proposito attrahatur, amando si bonum est, vel retrahatur detestando si malum; liberè in homine, necessariò in brutis; potentia locomotiva non impedita vivēs movet, si appetitus jubet.

Metaphysica est Philosophia prima.

1. *Metaphysica intellectum perficit,* dum eidem de omni Ente ut ens est cognitionem infundit, imò etiam substantiam cognoscere facit immobilem, Angelos, & ipsum denique Deum, quod nulla ut sic alia scientia facit. Est enim Metaphysica Scientia speculativa de ente ut ens est, per principia & causas altissimas & primas, adeoque & Sapientia vocatur. Ens est quod à parte rei est, vel esse potest; existentia est essentiæ actualitas extra causas saltem negativas, ab essentia actu non realiter, sed tantùm ratione distincta: aliud ens est substantia, existens non in alio, si prima & singularis completa est, etiam subsistit, sive existit non cum alio, absq; dus sit vel res ab ente distincta, Principium individuationis multiplicatæ est materia signata.

2. Ens prædicamentale est, quod in certo Entis genere ponitur, & decem sunt, Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Locus, Tempus, Situs, Habere; quæ omnia distinguūtur formaliter, nulla modaliter, quædam absolutè realiter. Entis prohabet à se, creatura omnis per participationem à Deo, quia quod Deus non est, á Deo & propter Deum est, A Quo & Ad Quem etiam hæc nostra Philosophia Sit & Ordinetur.

Cum Facultate Superiorum.

Salisburgi, Ex Typographéo Christophori Kazzenbergeri, Typographi Aulici & Academici. Anno M. DC. XXXIII.